

detentis in fluore immerge telam lineam veterem, magnitudinis, figurae in charta transmittenda descriptae, probe imbutam extendē, laeviga, et laxè conuolutam exhibe. S. Tela emplastica, quae pectori applicetur, tegatur panno laneo villosò, vel pelle cati.

SECTIO XVIII.

DE

FORMVLA CERATI.

§. 664.

De ingredientibus cerati.

Nominis *cerati*, *ceroti*, *cerelaci*, origo quidem est a cera et oleo, sed haec non constanter accedunt, sed saepe, his omissis, ingredientium vice in cerato funguntur, quae memorata sunt §. 639, id quod ex eo apparet, cum ceratum ab emplastro ratione mollitiei differat §. 630, adeoque ea, quae ingredientia emplastri esse possunt, eorundem vicem in cerato sustinere queant, dummodo semper ad maiorem eius mollitiem respiciatur. Rarius adhibetur magistrale, frequentius officinale, vel, hoc deficiente, emplastro oleiope facile cerati mollities conciliari potest.

§. 665.

De proportionibus ingredientium cerati.

Cum ceratum ab emplastro in eo differat, quod eo mollius sit §. 630. 664, eius ingredientium proportio in eo tantum ab ingredientium emplastri proportionem differt, quod in illa maioris mollitiei habenda sit ratio, atque ita, ut haec

haec obtineatur, sit concinnanda. Talis est,
vt olei ℥j recipiat cerae ℥℥. pulueris ℥j iſſ
pro eius grauitatis ſpecificae varietate, vel pul-
vere omiſſo cerae drachmas quinque.

§. 666.

Haec ingredientium cerati proportio non Scho-
adeo exacte obſeruatur, ſed, prout eius con- lion.
ſiſtentia vel paulo mollior, vel denſior deſide-
ratur, variat, et haec eſt ratio, cur offici-
narium aliqua a nonnullis ad claſſem cerato-
rum, ab aliis vero ad vnguenta et emplaſtra
referantur.

§. 667.

Exemplum praebet.

Ceratum reſoluens.

Rx. gumm. ammon.

galban. aa ℥℥.


ſoluantur in aceti

ſquillit. q. ſ. et cum

cerae citrin. ℥℥.

ol. inf. abſinth. q. ſ.

leni igne colliquata redigantur in cera-
tum, quod ſuper aluta eſt extendendum.



E e 2

SECTIO